



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Ivre, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Pvnct. XXIV. De conditionibus, & pactis in creatione census frequenter
appositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

1 Quae sint bona Ecclesiasticam examinamus late 2. part. tract. 22. Specialiter punct. 15. ibique expendimus conditiones alienationi requisitas. Haec inquam servanda sunt, cum res Ecclesiasticae census creationi supponantur. Nam per hanc creationem est actualiter non alienentur, alienationi tamen subiciuntur, ac proinde prohibita alienatione prohibetur omne id, per quod ad alienationem deveniatur.

2 Ceterum cum bona non sint propria Ecclesiarum, aut alterius loci pii autoritate Episcopi ex necessitate erecti, sed sint bona communia confraternitatum, hospitalium, & similibus censui subici possunt, si serventur conditiones, quae in ipsa confraternitate statuta sunt pro alienatione suorum bonorum. Aliae autem conditiones pro bonorum Ecclesiasticorum alienatione requisitae in his bonis censui subiciendis necessariae non sunt, quia non sunt bona Ecclesiastica.

3 Bona vero privata personarum Ecclesiasticarum optime possunt ab ipsis personis privatis censui subici. Solum est nonnulla difficultas de bonis ad cuius titulum clericus ordinibus insignitus est, in quibus recte inquit Felician. 1. 2. de censib. lib. 2. cap. 3. num. 12. Auendaño, tract. de censib. Hispania cap. 77. in fine. non posse censum constitui nisi servatis conditionibus à Conc. Trident. sess. 23. cap. 2. de reformat. requisitis pro alienatione horum bonorum, cum vt saepe dictum sit creatio census fit quadam virtualis alienatio.

4 Deinde est difficultas de fructibus beneficiorum, & praebendarum, an in his census constitui possit cum possint alienari? Sed breviter respondeo ad summum posse constitui censum super his bonis ad vitam consignatis, quia haec videntur sibi permittit alienari durante vita. Neque his videtur obsecrare Clement. 1. ex extrava. Ambrosio de rebus Ecclesie non alienandis, prohibens locationem ultra triennium, quia id intelligitur de locatione rerum Ecclesiasticarum, sed non redditum, vt inquit Couarru. 2. var. cap. 6. num. 6. Petr. Barbosa, in leg. si filiusfamilias, §. fin. numero 21. ff. solut. matrim. & colligitur ex leg. 9. tit. 17. par. 1.

PUNCTUM XXIV.

De conditionibus & pactis in creatione census frequenter appositis.

VI plene census naturam cognoscamus examinanda sunt pacta, & conuentiones, quae in eorum creatione frequenter apponuntur.

§. I.

An census creari possit sub pacto ne possit redimi saltem intra determinatum tempus?

- 1 Sub pacto ne inquam redimatur vendi potest constitui.
2 Ne intra certum tempus redimatur stante bulla Pij V.
3 Quod idem plures affirmant etiam ea bulla seclusa.
4 Sed verius est oppositum.
5 Satisfit contrariis.

1 Quod census creari possit sub pacto ne inquam redimatur firmant ferè omnes Doctores. Nauarr. cap. 17. numer. 223. Couarru. 3. var. cap. 7. num. 2. Felician. lib. 1. de censib. cap. 7. num. 4. Auendaño tract. de censib. cap. 18. num. 1. & seg. Mol. disp. 183. in hoc regio. Etenim cum census constitutio sit emptio obligationis soluendi annuum pensionem, quid obstat potest quominus ematur haec pensio in perpetuum; Quod adeo verum est, vt etiam stante bulla Pij V. nullatenus horum censuum creatio prohibita censetur, vt pluribus relatis diximus par. 16. Solum enim Pontifex vt inquit Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 12. numero 92. prohibet census irredimibiles eodem pretio ac redimiles constitui, at qui legitimo pretio emantur per episcopiam, vt resoluit Nauarr. comment. de usuris 98. censetur permitti.

2 Illud certum stante dicta bulla Pij V. & vbi recepta est non posse census creari sub ea conditione, ne iuxta certum tempus redimantur, vel ultra tale tempus redimi non possint, quia haec sunt conditiones à constitutione census redimibilis extraneae. Pontifex autem statuit, vt census redimibilis constitutus semper redimi possit. Sic Lessius, dict. numero 92. Salas de censib. dub. 12. numero 4. in fine.

3 Dubium tamen est, An seclusa bulla Pij V. & in illis locis vbi recepta non est creari census possit sub praedicto pacto, quod si intra certum tempus non redimatur vterius redimi

non possit, vel sub conditione ne intra certum tempus redimatur esto vterius redimi possit. Negant haec pacta sustinenda esse plures quos refert, & sequitur Couarru. 3. var. cap. 8. num. 7. & 8. cap. 9. num. 4. & 9. testaturque in Granatensi praetorio pro non adiectis haberi Grassi, lib. de cens. cap. 118; num. 2. Eman. Rodrig. tract. de censib. condit. 6. Anton. Gomez Junior lib. cap. 3. num. 1. Binsfeld. casus ciuitate de usuris 9. 12. concl. 11. Auendaño, pluribus relatis tract. de censib. Hispan. cap. 19. num. 5. Mouentur, quia ea est natura census redimibilis, vt semper redimi possit. Ergo conditio ne redimatur contraria est, ergo sustineri non debet. Praeterea Martin. V. in extrava. 11. & Calixt. III. in extrava. 1. de empt. & vendit. inter communes solummodo approbarunt census cum libero pacto de retroueniendo. Ergo tacite reprobarunt census, quibus hoc pactum, & haec libertas restringitur.

Nihilominus haec pacta sustineri possent, si pretio ab emptore compensentur docuit Conrad. de contract. quaest. 83. conclus. 8. Ioann. Medina Cod. de restitut. cap. de usuris, seu de censu redimibili. quod dub. 1. Sotus 6. de iustit. q. 5. art. 3. in 3. conclus. Nauarr. c. 17. num. 249. Aragon. 2. 2. q. 78. art. 4. conclus. 6. de censib. Rebell. 2. q. de obligat. lib. 10. q. 6. condit. 5. Molin. tract. 2. disput. 391. clausula 9. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 9. Felician. de censib. lib. 1. cap. 7. num. 9. Salas tract. de censib. dub. 12. num. 2. & alij, & colligitur ex illo Lessius 2. q. 78. vbi inquit textus: Qui vendiderit domum intra orbis muros habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posterius eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in tribulo. Ratio ea est, quia licitum est creare censum sub pacto, ne inquam redimatur. Ergo licitum sub pacto ne redimatur intra certum tempus, ideoque primum pactum licitum est, quia, priuatio facultatis redimendi pretio compensari potest. At secundum pactum etiam poterit augmento pretij compensari. Ergo etiam licitum est.

Neque argumenta contraria videntur. Nam ad primum concedo naturam census redimibilis esse, vt pro libero redimi possit: at census sub illis pactis constitutus partim censendus est redimibilis, & partim irredimibilis, quod non est inconueniens, eum id fiat comparatione diuersorum temporum. Ad secundum admitto Martinum V. & Calixtum III. tantum fecisse mentionem censuum absolute redimibilium, sed non obinde inferatur damnasse census qui pro aliquo tempore irredimibiles constituantur, dummodo haec conditio augmento pretij compensetur. Quia tamen compensari non solet, sed census appositae ea conditione eodem pretio emitur, ac si ea conditio appositae non esset, merito in tribunalibus Castella haec conditiones, & pacta, vt inquit Mol. & Salas loc. cit. reprobandur.

§. II.

An licita sit census constitutio sub pacto, ne per partes redimatur?

- 1 Negant aliqui sustinendum esse hoc pactum.
2 Verius est oppositum.
3 Temperant aliqui, nisi pretium augetur, sed non admittunt.
4 Alij ne procedat in censuario praesumere, sed reprobandur.

Non desunt graues Doctores, Felician. de censib. lib. 11. cap. 8. num. 16. & 2. part. eodem cap. num. 12. Auendaño de censib. cap. 107. n. 20. negant sustineri posse pactum, ne census per partes redimi possit. Docentur, quia natura contractus ea est, vt colligitur ex extrava. Martini V. & Calixti III. de empt. & vendit. inter communes. Quod adeo existimant verum praedicti Doctores, vt etiam huic beneficio renuntiare nequeat, quia facultas inquirunt redimendi per partes in fauorem publicum venditoribus concessa est. Et licet Felician. excipiat, nisi iuramento ea renuntiatio firmetur. At Auendaño neque etiam iuramento firmatam eam renuntiationem validam esse permittit, eo quod sit contra naturam contractus, tamen iuramentum relaxari debeat, antequam pactio impugnetur.

Nihilominus valere pactum, ne census per partes redimatur docuit Nauarr. comment. de usuris num. 78. Molin. disp. 393. Eman. Rodrig. de censib. dub. 4. & ibi Anton. Gomez Junior num. 23. Francisc. Milanen. decis. 2. regni Sicilia num. 75. lib. 2. Lessius cap. 22. dub. 12. num. 9. Galpat. Roderic. lib. 1. q. 18. de annuis redditib. num. 35. seg. Petr. Binsfeld. super cap. in ciuitate de usuris. quaest. 12. concl. 16. Bañes 2. 2. quaest. 74. art. 4. dub. vlt. de censib. Salas tract. de censib. dub. 56. m. 4. Tolet. lib. 5. sum. c. 4. sum. 4. & alij apud ipsos, & colligitur ex legat. 41. §. Lucius Titius. ff. de usuris, vbi Modestinus respondet, quod cum Lucius Titius censum deberet, & usuras alicuius temporis si minus consignaret, usuras parvis consignata non excusabit. Probatum primum, quia hoc pactum rationi con-

sonum est, ne emptor diuini cogatur fortem recipere, & inutiliter infumere. Et licet Martin. V. & Calixt. III. census redemptionem per partes approbauerint, non inde inferri debet damna esse censum creatum sub conditione ne per partes, sed in integrum redemptio præstaretur, cum hoc pactum alienum non sit à redimibili conditione. Secundo potest creditor cum debitore pacisci, ne debitum soluendum diuidatur. Ergo idem poterit in censu redimendo.

3 Temperant autem hanc sententiam Nauarr. *d. comm. de usur.* 102. Sotus *6. de iustit. q. 5. art. 3.* Gutierrez. *pract. q. 174.* Bañes *d. dub. vlt. Felician. loc. cit.* ne procedat, cum pretium ordinariū census non augetur, secus si ampliatur, quia ea conditio est in grauamen venditoris apposta, & in fauorem emptoris, debet igitur compensari, alias vlturarius erit contractus, vt inquit Nauarr. vel iniustus, vt inquit Sotus, & Gutierrez. Sed rectius hanc restrictionem reprobant Salon. *tract. de censib. art. 3. controu. 49.* Sarmiento *6. select. cap. 17.* & *lib. 7. cap. 1. num. 27.* Gasp. Roderic. *d. num. 3.* Eman. Rodrig. Anton. Gomez & Salas *num. 7.* eo quod hæc conditio secluso pacto inest contractui, sicut enim vnico actu, & integra sorte census emptus fuit, sic vnico acta, & integra sorte solui debet. Exprimere autem conditionem quæ aliis de iure inest, nocere non potest, *leg. non recit. Cod. de fideiussorib.* Neque huic decisioni obstat quod in hoc Hispania regno præscriptum sit, vt census per partes saltem notabiles redimi possit, quia etiam est præscriptum, vt hæc redemptio diuidua excludatur nullo dato pretij augmento, sicut etiam est introductum, vt per partes redimi possit nulla in pretio diminutione facta.

4 Secundo temperant Ludouic. Lopez *1. p. instr. negot. cap. 19.* Vega *in sum. & epitome vbi de censib. casu. 19.* Ledesma. *2. p. sum. tract. 8. cap. 34.* ne procedat in censuario paupere, quia esset illum obligare ad censum irredimibilem, cum moralem impossibilitatem habeat integram sortem congregandi, Sed rectius Sotus, Bañes, Salon, Salas *loc. cit.* hanc reprobant restrictionem, quia in contractibus non est spectanda qualitas emptoris, sed illius æquitas, & iustitia. Et licet ille census irredimibilis reddatur ex venditoris paupertate id est per accidens, & non secundum illius naturam, ac proinde in considerationem non venit.

§. III.

An licita sit emptio census sub pacto redimendi?

- 1 Licet esse certum.
- 2 Apponi potest pactum, quod in eadem moneta redimatur.
- 3 Expenduntur aliquot restrictiones.

1 **N**on est dubium licere hoc pactum in fauorem venditoris, quinimo semper præsumitur statutum, nisi ex summitate pretij contrarium inferatur. Difficultas autem est, An venditor census obligari possit, vt casu quo censum redempturus sit debeat eodem pretio, & in eadem moneta ac emptus est redimere; Et quidem spectato iure naturæ pretio currenti tempore redemptionis redemptio faciendæ est, regulariter autem semper institui potest sub pacto, vt eodem pretio, ac emptus est redimatur, idque constitutione Pij V. & praxi recepta approbatum est. Eaque de causa videmus post constitutum censum denuo pretium augeri, vt sic redemptio difficultior reddatur. Pactum vero quod maiori pretio redimatur vt potest venditori nocuum, & emptori commodum merito reprobant Couarru. *3. var. cap. 9. num. 4.* Contrad. *q. 84. de contrahib. concl. 4.* Grassis *lib. 2. decis. capit. 118. num. 14.* Eman Rodrig. *tract. de censib. post 6. condit. dub. 5.* Excipe nisi certum esset censum postmodum plus esse valiturum. Vt bene aduertit Ioann. Medina *quæst. 5. de censib. Salas tract. de censib. dub. 2. 4. in fine.*

2 Sed an licitum sit pactum quod in eadem moneta in qua census emptus est redimatur, & non in alia? Grauis est dubitatio, eo quod videatur venditori facultas redimendi, sicut enim emptori liberum fuit censum in qualibet moneta emere, sic debet esse venditori, cum vterque solum sit obligatus pretium iustum siue in emptione, siue in redemptione exhibere.

Nihilominus hanc conditionem licitam esse, & in praxi comprobata affirmat Gasp. Roderic. *lib. 1. de censib. q. 18. num. 43.* Salas *tract. de censib. dub. 56. num. 11.* eo quod hæc conditio non est aliter emptori commodam in redemptione, quam fuit venditori in venditione, nam sicut emptori commodior est cum ad negotiationem, tum ad faciliorem appropriationem moneta aurea, vel argentea quam ærea, sic venditori ea moneta ad eisdem fines vtilior fuit, & sicut venditor in redemptione grauatur ex obligatione determinatam monetam exhibendi, sic emptor grauatus fuit emendo cen-

sum in ea determinata moneta, & non in viliori. Ergo ea conditio nullam iniquitatem, & iniustitiam continet.

Hanc Doctrinam multipliciter restringit Gaspar Roderic. & ex illo Salas. *Primo*, ne propter leuem defectum vnus, vel alterius auri redemptio omittenda sit, quia id parum cesset creditori interesse, & conuinceretur potius ob vexandum debitorem, quam ob suum commodum excusare redemptionem. Quod admittendum non est. *Secundo* restringitur in emptione census facta in specie aliqua moneta rara, minusque frequenti, quia obligare debitorem, vt in ea redimatur est tacite redemptionem impossibilem reddere. Idem est, si tempore contractus illa moneta frequens fuit, & tempore redemptionis est extraordinaria, sufficit namque in moneta eiusdem materiae licet non sub eadem forma redemptionem institui. *Tertio* si fors numerata sit in multifariis speciebus puta, in coronatis argenteis, & aliis minutis monetis, sufficit in vna tantum specie sortem reddere, neque admittendum est pactum contrarium (inquam capitolium, & octosolum. Hæc restrictio mihi difficilis est, cur enim emptor cogendus est dissolutionem contractus admittere in solis monetis minutis eo quod ex illis censum partim soluerit, cum in pretiosis monetis maiori ex parte censum soluisset? Quare si constet creditoris non interesse, quod in ea moneta potius quam in alia inferri non censetur, redemptio, quia tunc conuinceretur cum monetam determinatam ob vexandum debitorem exigi, eam non debet permitti. Sed raro, vel nunquam id præsumendum est.

§. IV.

An licita sit emptio census sub pacto redimendi ad emptoris beneplacitum?

- 1 Negat communis sententia.
- 2 Contraria seclusa constitutione Pij V. probabilitate non caret.
- 3 Satisfit contrariis.
- 4 Hic census emendus est pretio maiori.
- 5 Valet pactum, vt renouari redemptio, si census à me captus, & dimittatur.

Communis sententia quam refert, & sequitur Dominicus Sotus *lib. 6. de iustit. quæst. 5. art. 3. concl. 1.* Couarru. *3. var. cap. 9. num. 4.* Ludouic. Lopez *2. lib. 5. instr. negot. aut. cap. 57.* Nauarr. *commenti. de usur. num. 12.* Palacios *4. de contract. cap. 6.* Salas *de censib. art. 13. controu. 16.* & *18. ad 2. ante 14.* Binsfeld. *in ciuitate de iuris. q. 12. cond. 10.* Aragon. *2. 2. q. 78. art. 4. de censib.* Vega *in sum. & epitome verbo censu. casu 11.* & *12.* Rebell. *2. p. de oblig. instit. lib. 10. q. 7. num. 1.* & *3. & q. vlt. difficult. 4. m. 4.* & *5.* Gaspar. Roderic. *lib. 1. de redimib. q. 4.* & *18.* & *lib. 2. q. 1. 3.* & *q. 13. num. 28.* Felician. *lib. 1. de censib. cap. 7. num. 15.* & *16.* Acediano *tract. de censib. lib. 1. capite 19. num. 10.* negat licitum esse pactum, quo census voluntati emptoris remitteretur redimendus. Tum quia est contra naturam census redimibilis alligere debitorem ad illum redimendum. Tum quia perinde est ac pecuniam mutuatam sub vfuris concedere, cum vltra sortem penulios reuoluantur.

Nihilominus contraria sententia seclusa constitutione Pij V. probabilitate non caret, tamen in praxi ob vlturarium periculum omnino dissuadenda est, docet namque eam Gab. *in 4. dist. 1. q. 12. art. 2. conclus. 4.* Contrad. *de contrahib. 84. post 5. concl. 8.* circa enim solutionem, & corol. 1. Ioann. Meo. *q. vlt. de censib. sen. q. 15. de usur. dub. 2.* & *1.* Gregor. de Valent. *2. 2. dist. 1. q. 2. 2. num. 6.* & *q. 2. 1. num. 2.* Molin. *tract. 2. dist. 377.* Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 10.* Salas *tract. de censib. dub. 2. m. 2.* Paul. Layman. *lib. 3. sum. tract. 4. cap. 18. num. 5.* Fundamentum est, quia licita est emptio cuiuscunque rei sub pacto, vt retrovendatur, cum emptori placuerit, vt disput. præcedenti diximus. Ergo licita erit census venditio sub pacto vt redimi possit, cum emptori placitum fuerit. Nulla enim excogitari potest differentia ratio. Nam sicut merces emi possunt sub obligatione, vt venditor cum placuerit emptori pretium restituat fructibus illarum mercium in sortem non computatis, sic ius soluendi annum pensionem ex fructibus alienius prædij vendi, & emi poterit sub obligatione restituendi pretium, & dissoluendi contractum, cum emptori placitum fuerit. Pactum enim de rescindendo contractu eam in fauorem emptoris, quam venditoris licitum est. Vt colligitur ex *leg. quod si nolit. §. quid ita ff. de aditio edito. de leg. 3. ita res. Cod. de contrahend. empti.* & docet Gloss. & Panor. *cap. illo vos de pignori.* Couarru. *3. var. cap. 9. in fine.* Videlicet rationes apud Lessium.

Hinc respondetur ad fundamenta opposita. Ad primum nego esse de natura census redimibilis, vt solum cum placuerit venditori redimatur, id enim nec iure naturæ, nec

positio communi cautum est. Nam extratagantes Martini V. & Calixti III. tamen approbent censum redimibilem in fauorem venditoris, non tamen negant in fauorem emptoris in futurum posse. solum enim Pius V. in sua constitutione prohibuit censum in fauorem emptoris redimibilem, ac prout ibi hæc constitutio recepta est hoc pactum admitti oportet. Ad secundum nego esse contractum usurarium, tamen illius præsumptionem habeat. Quia pensiones recipiuntur ob ius, & obligationem pecunie emptam, pecunia vero postmodum recipitur pro cessione prædicti iuris, & obligationis. Non igitur hic interuenit mutuum.

4. Obseruant tamen ferè omnes Doctores censum appositum sub eo pacto, vt venditor teneatur pretium restituere cum placuerit emptori, debere emi longè maiori pretio quam census alius ad beneplacitum venditoris redimibilis, imo quam census absolute irredimibilis, quia videtur grauius onus imponi. Sed an eodem pretio possit cogi venditor, vt redimat. Lessius dicit dub. 10. affirmat, quia augmento pretij potest obligari venditor census non ad emendum ipsum censum, sed ad dissoluendum contractum factum pretio restitutorio. Verum eo casu videtur obligatus, vt inquit Salas dub. 3. §. num. 5. pensiones in forem computare, aliàs non esset perfecta contractus dissolutio, emptorque lucrum pensionum obtineret ob virtuale pecunie mutuum.

5. Ex dictis constat licet censum creari posse sub pacto, vt teneatur redimere eo in euentu quo census à te captum redimam, vt bene aduertit Salas dicto dub. 2. §. in fine aduertus Gaspar. Roderic. 2. de redditib. q. 13. num. 28. & aduertus Felician. de censib. 2. p. lib. 1. cap. 7. num. 5.

§. V.

An census institui possit sub pacto, vt si pensio intra biennium, vel triennium soluta non fuerit liceat emptori forem repetere, vel incidat in commissum?

1. Stantia constitutione Pij V. hoc pactum illicitum est.
2. Inspecio iure communi, et si aliqui Doctores negent sustinendam esse, verius videtur oppositum.
3. Sed argui debet pretium census, vel pensio d. minui.
4. Pactum de incidendo in commissum quando sustinendum sit.
5. Licetum est pactum, quo venditor obligat emptori aliqua bona in hypothecam vt si censum suo tempore non soluerit possit ea distrabere.

1. Stante motu proprio Pij V. de censibus certum est hoc pactum illicitum esse, quia in ea constitutione tantum permittitur à venditore inuito pretium repeti intra annum, quo ipse venditor deuntiauit emptori velle censum redimere.

2. Iure communi inspecto controversia est inter Doctores, an hoc pactum licitum sit, & obligationem inducat? Negant Felician. lib. 1. de censib. cap. 20. num. 18. Gaspar. Roderic. lib. 2. de redditib. q. 13. §. tamen iudicet id esse intelligendum, si census pretio ordinario constituitur. Ludouic. Velazq. de Auendaño tract. de censib. Hispan. cap. 19. num. 13. Ducuntur, quia nequit venditor ad redemptionem census cogi, cum sit contra naturam huius contractus. Sed hæc ratio, vt ex superioribus §. constat infirma est, & manifestè conuincitur ex constitutione Pij V. concedentis posse venditorem census cogi ad forem restituendum, censumque redimendum intra annum, quo emptori redemptionem proposuerit. Ergo obligatio ad redimendum non obstat naturæ contractus redimibilis.

3. Quapropter censio pactum illud sustinendum fore, vt pote quod emptorem census indemnem leuat, & censuarium diligentem reddit in soluenda pensioe. Atque ita tradit Ioannes Martinez de Olano in concordata iuris lib. 1. An. 112. testaturque in regno Nauaræ frequenter censuarios eo pacto altrungi. Ioann. Medina Cod. de restitut. cap. de censu redimibili §. ex dictis. Gutier. de iuram. consim. 2. p. cap. 31. num. 1. Afflicti dec. 80. per totam. Nec dissentit Nauarr. in manuali. cap. 28. num. 68. & in censu irredimibili id admittit Auendaño: de censib. Hispan. c. 90. §. 3.

4. Et quauis Olano, Ioannique Medina visum sit ex huiusmodi pacto pretium census augendum non esse, aut pensionem diminuendam, quia opponitur ad firmitatem contractus, & illius debitam executionem. At verius est pretium augendum esse, quia certum est extra naturam contractus venditorem grauari eo pacto, & conditione. Ergo debet pretio compenari. Atque ita iudicat Eman. Rodrig. tract. de censib. dub. Salas eodem dub. 27. in medio. Gaspar. Roderic. & Auendaño supra.

5. Hinc de cetero, An sustinendum si pactum, quod censuarium, si non soluerit pensionem incidat in commissum? Videbatur

sustinendum, si pro qualitate grauaminis in institutione census pretium aueris. Sed distinctione est opus. Et quidem si rem propriam in emphyteum, aut censum referuatum concesseris, optime poteris sub eo pacto emphyteum, vel censum referuatum instituire, quia censibus sub ea conditione quod censuarium solutionem pensionis non omittat rem alienare. Vnde cessante conditione alienatio euanescit non tam in penam delicti commissi quam ex non seruata conditione. Quo pacto intelligenda est lex regia 68. tauri quæ est. l. 1. r. 15. lib. 5. noua collecti. dicens. Si alguno pusiere sobre su heredad algun censo con condiccion que si no pagara a ciertos plazos que caxga la heredad en comiso que se guarda el contrato, y se usque por el, puesto que la pena sea grande, y mas de la mitad. Hæc lex de emphyteusi quæ sæpè census nuncupatur iuxta leg. 28. tit. 8. par. 5. vel saltem de censu referuatio intelligenda est, cum in emphyteusi, & censu referuatio quacunque pena amissionis rei censetur, quantumuis videatur grauis non debet immoderata censeri, cum non tam sit pena, quam conditionis defectus, vt donatio facta subsistat, vt late prosequitur Auendaño tract. de censib. cap. 90. & 91. per totum.

Si verò rem censitam non ex contractu emphyteusi, aut census referuati, sed ex censu emptorio censuarium habeat regulariter obligati non potest ad penam commissi, quia esset pena exorbitans, & irrationabilis, siquidem res censita longè plus aestimari solet, quam pretium quo census fuit constitutus. Vt bene Ioann. Medina quasi. vlt. de censib. ff. quibus non obstantibus. Nauarr. comment. de usur. num. 138. Binsfeld. cap. in ciuitate de usur. quasi. 12. con. 1. §. Salas tract. de censib. dub. 26. num. 5. Auendaño de censib. cap. 90. num. 3. Quod si res censita estimationem pretij in censum dati non multum excedat, & ex alia parte hanc penalem obligationem ultra pretium census compenses, non video qua ratione hoc pactum sustinendum non sit. Sicuti sustinendum esse vindicat Nauarr. Gutier. Afflicti, Auendaño numero 1. relati.

Hinc rectè insert Binsfeld. cap. in ciuitate de usur. q. 12. conclus. 12. licitum esse pactum, quo venditor obligat emptori aliqua bona in hypothecam ea conditione, vt si censum suo tempore non soluerit, possit ea pro solutione pignori distrahere. Nam hoc pactum in aliis contractibus licitum est lege pactum. ff. de pignorat. actione. Ergo etiam in censu licitum erit. fauetque lex. 1. Cod. de pact. pignorat. lege fundus. §. si. ff. de pignorat. act. & notant ibi Glossa Bart. Alexand. & alij.

§. VI.

De aliis pactis quæ frequenter interuenire solent in re censu supposita.

1. Licetum est pactum, ne censuarium rem subiectam censui alienet, dummodo pretium emptor auget.
2. An alienatio sit valida. Proponitur dubitandi ratio.
3. Resoluitur comparatione emptoris nullam esse.
4. Sa istis contrarius.
5. Debet res censita specialiter hypothecata esse.
6. Valet pactum, ne res censita alienetur non pramonio censuariorum.
7. Quod verum est etiam seclusa bulla Pij V. neque proinde pretium augendum.
8. Valet pactum, vt emptor census in casu alienationis præferatur.
9. Impeditur ex vi talis pacti translatio dominij in tertium possessorem.
10. Pactum soluendi decimam emptori census casu quo res censita alienetur reprobatum à Pio V.
11. Inspecio iure communi etiam reprobatum, nisi pretium augeat.

Primo dubitatur, An possit cum censuario pacisci, ne rem censui suppositam alienet? Licetum esse hoc pactum, dummodo augmento pretij hoc grauamen compenses, meritò docuerunt Sorus 6. de iustit. quasi. 5. art. 2. ad 2. Palacios 4. de contract. cap. 6. Couarru. 3. var. cap. 7. num. 6. Nauarr. comment. de usur. num. 91. & 114. Felician. de censib. lib. 1. cap. 10. num. 8. Salas tract. de censib. dub. 27. Binsfeld. cap. in ciuitate de usur. q. 12. conclus. 14. Ratio est, quia in hac obligatione nulla iniustitia committitur, cum supponamus censuario grauamen impositum augmento pretij compenari.

Sed an hæc obligatio ita stricta sit, vt alienationem postmodum factam inhiemet difficultate non caret. Nam postquam hæc obligatio adhuc censuarium dominus est rei censitæ. Ergo potest saltem valide de illa disponere, id enim dominium, quod est ius de re liberè disponendi leg. in re mandata Codic. mandati, exigit. Pactum namque illud, & obligatio astra

stringit contrahentem ne licite alienet, & facta alienatione ad interesse teneatur leg. si quis ita. §. ea lege ff. de verb. obligat. non tamen alienationem factam irritat.

Præterea stante motu proprio Pij V. irritantis quælibet pacta, & conuentiones contra formam ibidem præscriptam, videtur necessario affirmandum alienationem factam validam fore, vt colligitur ex illis verbis. Quæmodum neque pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam &c. vbi pacta hæc quæ facultatem alienandi coarctant irritant, & annullant.

3 Nihilominus verius existimo posito huiusmodi pacto alienationem rei censui suppositæ comparatione emptoris census nullam esse, nullumque dominium tertio possessori communicare quoad effectum impediendi pactationem. Quod latè comprobatur Auendaño tract. de censib. Hispania. capit. 8. §. ex numero 5. Tum ex leg. si creditor. §. fin. ff. de distract. pignor. vbi deciditur nullam esse venditionem rei, in qua simul cum hypotheca legali coniungitur prohibitio alienationis ex pacto, & conuentione; vt in re censui supposita, & promissa non alienari contingit. Tum ex leg. quoties. Cod. de rei vindic. vbi rei vni venditæ, & venditioni hypothecata, promissæque nemini alteri alienandi impeditur valida alienatio. Tum ex leg. emptorem. Cod. locari vbi si rei locatæ accedat pactum non alienandi cum hypotheca nullam reddit venditionem subsequenter.

4 Neque fundamenta contraria obstant. Nam esto dominus rei censitæ permanferit censuarius facta ea conuentione, sed non vt alienare rem censitam possit: stat enim optime censuarium habere dominium rei censitæ, impediti tamen ab illius alienatione ex voluntariè susceptæ obligatione. Si enim possessor maioratus impeditur ab alienatione rerum maioratus esto illarum habeat dominium, quid mirum si impeditur censuarius qui rem censitam, & consequenter censui hypothecaram non alienare promittit.

Ad secundum respondeo illis in locis vbi bulla Pij V. recepta est validam & licitam esse alienationem rei censui suppositæ, quia sub ea conditione hypothecatur, & quia pactum non alienandi annullatur à Pontificè. Secundo respondeo Pium V. non permisit alienationem liberam rei censitæ, neque pactum restringens absolute facultatem alienandi irritasse; aliàs concederet censuarius facultatem se à censu eximendi facta translatione rei censui suppositæ in tertium possessorem, sed solum comparatione ipsius censuarius, non comparatione emptoris, & quoad effectum vt pactio stetur. Nam comparatione emptoris nulla est, idèque tertius possessor sicuti & censuarius via ordinaria, & executiva conueniri potest. Sicuti laius profequitur Auendaño d. c. 8. §. nu. 10. & seqq.

5 Oportet autem ad hunc effectum, vt res censita non solum generaliter, sed specialiter hypothecata sit, aliàs tertius possessor conueniri non potest. Postea autem hypothecæ speciali conueniri potest via ordinariâ. Si autem huic hypothecæ additum sit pactum non alienandi, non solum ordinariâ, sed executiua conueniri poterit.

6 Secundo dubitabis, valeatne pactum, ne censuarius rem censitam alienet te non præmonito? Constat hoc pactum validum esse inspecta constitutione Pij V. siquidem etiam secluso hoc pacto obligatur censuarius ante alienationem rei censitæ te census emptorem monere, & per mensum tuum consensum expectare.

7 Seclusa autem constitutione Pij V. etiam pactum illud validum est, nec censio ob eius causam pensiones diminuendas, aut pretium augendum. Quia hæc conditio monendi censuarius, cum res censita alienanda est videtur contractui censuali tacite inesse, aut saltem ex æquitate illi esse debita. Nam cum censuarius teneatur ex ipso contractu rem censitam non alienare in personam, à qua pensiones difficultius emptor recuperet, vt bene Valen. 2. 1. disp. §. 9. 2. 2. punct. 7. Vega in sum. & epitome verbo census casu 3. & 2. Salas tract. de censib. dub. 2. 3. in fine, consequens est vt debeat emptorem monere, vt potè cuius interest pensionum comparatio.

8 Tertio dubitabis, valeatne pactum, quo censuarius obligatur in casu alienationis emptorem census præferre? Breuiter respondeo validum esse, quia satis rationi consonum est, vt censuarius in re censita aliis emptoribus præferatur, cum ipse in ea re ius hypothecæ realis habeat. Sed an ob huiusmodi conditionem pretium augere, vel pensionem diminueret teneatur? Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 11. necessarium esse, sed rectius id affirmat Salou. de censib. art. 3. controuers. 5. ad finem. Salas dub. 2. 3. num. 2. Quia ex vi huius pacti astringitur venditoris libertas rem censitam alteri alienandi quod onerosum est, & in contracta censuali non inclusum.

9 Maior est dubitatio, An ex vi huius pactiois impediatur in tertium possessorem translatio dominij rei censitæ. Nam Ioann. Matien. in leg. gloss. 1. num. 6. tit. 1. lib. 5. noua collect. & Salas d. dub. 2. 3. negant impediti. Tum quis non impedi-

tur hæc translatio per actuale venditionem abique traditione priori emptori facta. Ergo à fortiori non impeditur per promissionem venditionis faciendæ. Tum quia hæc promissio non est pactum, & obligatio alienandi rem, sed solum non alienandi in alterum casu quo de facto alienare velis. Sed rectius Ioann. Gutier. 2. pract. quest. 1. 67. num. 1. & Auendaño tract. de censib. Hispan. cap. 8. §. nu. 10. affirmant nullam esse eam venditionem, eo quod sit rei quæ simul cum hypotheca reali habeat pactationem adiuuandam, ne in alterum quam in emptorem alienetur, quo duplici vinculo apposito translatio dominij impeditur ex leg. si creditor. §. de distract. pignor. & ex aliis quæ in summi seruius diximus.

Quarto dubitabis de pacto soluendi decimam emptori census casu quo venditor rem censitam alienauerit? Constat in illis locis, vbi bulla Pij V. recepta est hoc pactum in censibus emptoris, & redimibilibus reprobatur. Nam Pontifex inquit volumus eum semper habere, ac sine solutione laudemij, &c. Sic Salou. art. 3. de censib. controu. 1. §. in altera parte. Salas tract. de censib. lib. 2. 9.

Inspecto autem iure naturali, & diuino damnant prædictum pactum Eman. Rodrig. tract. de censib. dub. 2. Vega in sum. & epitome de censib. casu 2. Palacios d. de contractib. cap. 6. in fine. Ducuntur, quia est grauamen censuario impositum vix pretio compensabile. Sed hæc sententia procedit pretio census non aucto, aut pensionibus non diminutis: at si augmento pretij, vel pensionum diminutione hoc grauamen compensetur vt prudentis arbitrio compensari potest, abique dubio sustentendum est hoc pactum tantquam validum, & licitum. Quod non leuiter confirmat vus regni Aragoniæ, vbi teste Eman. Rodriguez in omnibus censibus hæc conditio seruatur. Et in regno Castellæ in censibus irredimibilibus, vt Couarun. 3. var. capite 7. numero 5. adnotat. Atque ex contrahentium pactone seruandam esse hanc conditionem, si augmento pretij, vel diminutione pensionum compensetur merito docuerunt Anglis, quest. de censib. art. 6. diffinit. 2. Salou. de controuers. 1. §. ante 6. conditionem. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 11. n. 72. Salas, 1. de censib. cap. 19.

§. VII.

Valeatne pactum vt termino præfixo censuarius pensionem soluat in domo creditoris, alioquin mittatur nuntius cum censuarij expensis ad exigendum.

- 1 Distinctione huic quæstioni fit facta.
- 2 Inspecto iure communi validum est.
- 3 Pactum de soluendis salariis, & expensis ob non solutum pensionem suo tempore licitum est.

Cum debitor, & creditor sunt diuersi fori, aut debitum non est pecuniarium non obligatur debitor ad domum creditoris debitum deferre, sed satisfaci, si paratus existat domi soluere. Cum verò debitum est pecuniarium, & creditor, & debitor eiusdem sunt fori regulariter in domum creditoris debitum deferendum est, vt docent Bar. Bald. Paul. Arberic. & ferè omnes Doctores in leg. item illa. ff. de conditio. & p. pecun. Hincque resoluimus punct. 16. Item bulla Pij V. pactum deferendi pensionem in domum creditoris sustentandum esse, cum natura contractus eam solutionem exigit. Secus verò si sit præter eius naturam, tametsi in omni causa Gaspar. Roderic. lib. 2. quest. 6. num. 7. Eman. Rodrig. in expli. et motus proprij de censib. dub. vltim. conseruatur sustentandum esse.

Inspecto verò iure communi Auendaño tract. de censib. Hispan. cap. 92. num. 6. contendit hoc pactum deferendi debitum in domum creditoris reprobare, eo quod hæc conditio grauat censuarium, & creditorem leuat, & consequenter diminuit census pretium, quod vt potè indiuisibile, & legale minui non debet. Sed rectius sustentandum esse docuit Eman. Rodrig. in expli. et motus proprij de censib. dub. vltim. Vega in sum. & epitome census casu 2. 5. Rebell. de obligat. iust. 2. p. lib. 10. quest. vltim. difficult. 2. Salas tract. de censib. dub. 30. num. 2. Gaspar Roderic. lib. 2. de redimib. quest. 5. num. 4. Felician. de censib. tom. 2. lib. 1. cap. 1. num. 5. Ratio est, quia esto sit præter naturam censualis contractus illa obligatio potest pretio compensari. Cui compensationi non obest pretium esse lege taxatum. Nam huic pretio taxato census potest aliud pretium superaddi occasione grauaminis adiecti. Quinimo non desunt Doctores, Caballia. de contractib. quest. 9. per totam. Eman. Rodrig. dicto dub. 2. & propendet Gaspar Roderic. lib. 2. de annuis redditib. q. 6. n. 6. asserentes nullo pretio aucto, vel pensionum diminutione apposita validum esse pactum, vt pensio soluenda in domum creditoris deferatur. Nam cito censuarius hac obligatione gra

gratuetur id non provenit a contractu, sed a qualitate censuarii, quia est forensis, & alterius a creditore fori. Quod emptori census non videtur imputandum qui se indemnem ferare potuit, quique forensis pretulit in emptione census, cum posset illo repulso vicinum eligere.

Illud est certum pactum de soluendis salariis, & expensis ob non solutam pensionem tempore praefixo etiam stante constitutione Pij V. licitum est, quia est pactum de damno emergente vitando, ad quod ipse censuarius iure naturali tenebatur, sicut scripsit Gutierrez lib. 1. canon. quest. cap. 39. n. 44. Nauarr. post comment de usur. gloss. 9. num. 93. Gaspar Roderic. lib. 2. de redditib. quest. 6. num. 10. Salas de censib. dubit. 30. in fine.

§. VIII.

An pactum, ut debitor fundum censui suppositum tradat creditori, ut ex eius fructibus pensionem accipiat, & quod superest debitori reddat sustinendum sit?

- 1 Inspecio iure Pij V. nequit fieri bene inspecio iure communi, si pretium augetur.
- 2 Temperatur nisi censuarius suspectus de solutione pensionum esset.

Respondeo stante bulla Pij V. nequaquam sustinendum esse, quia est pactum praeter naturam contractus, & in gravamen venditoris, siquidem obligatur venditor abstinere ab usu proprii fundi, & in emptorem transferre. Quae ratio probat inspecto iure communi fieri non posse censu per pretium ordinari emptio. Secus vero si aucto pretio, vel pensionum diminutione hoc onus venditori compensetur. Vt late probat Gaspar Roderic. lib. 2. de redditib. qu. 1. n. 4.

Si autem venditor suspectus esset, nec fideiussorem daret praestandarum pensionum posses obligare venditorem, ut fundum aut quolibet aliud pignus tibi concederet interim ac fideiussorem inueniret, quia illud pactum non est alienum a censu, cum solum spectet tuam indemnitatem, & posset a venditore praestito fideiussore fundum redimere. Vt bene Gaspar Roderic. d. q. 1. n. 13. aduertit.

§. IX.

Num pactum de anticipata pensionum solutione sustinendum sit?

- 1 Nequaquam sustinendum est, nisi alia via compensetur.
- 2 Hac compensatio scrupulosa est.

Respondeo nequaquam sustinendum esse, nisi forte augmento pretij, vel pensionum diminutione, aut alia via compensetur, quia de natura huius contractus est, ut pro rata temporis elapsi solvatur pensio, ut multis comprobatur Covarrua. 1. var. capit. 15. numero 10. & 11. Molina. disp. 190. claus. 3. Rebelle. 2. p. de obligat. in fin. lib. 10. quest. 6. num. 9. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 12. num. 18. Salo. art. 3. de censib. disp. 12. Salas tract. de censib. late Roderic. de redditib. lib. 1. q. 18. ex n. 12. & seq.

Dixi nisi supra ordinarium pretium census compensetur praedictum gravamen. Nam compensari posse videtur assumendum. Non enim aliqua pensionum anticipata solutio emptioni obstat potest, quandoquidem pecunia credita censum emi posse dixerimus. Fateor tamen scrupulosum esse contractum, & in praxi non admitendum, si in principio contractus cum pecunia venditoris tradis ipsum obligas, ut ex illa pensionem futuram solvas, quia perinde est ac censum emere minori pretio, ideoque debes ab ea exactione, utpote praesumptivè iniusta omnino abstinere.

PUNCTVM XXV.

Debeaturne gabella ex censu consignatio, & a quibus personis, & quo loco soluenda?

- 1 Gabella ex censu consignatio debetur.
 - 2 Quod verum est etiam ex venditione census iam constituti.
 - 3 Si rem censui suppositam vendas ea conditione, ut emptor ad solutionem census obligetur. Afferunt Molina deberi gabellam ex toto pretio.
 - 4 Sed contrarium aliq non improbabiler docuerunt.
 - 5 Ad quem spectet solutio gabella.
 - 6 Locus ubi solvenda est, debet esse ubi bona hypothecata specialiter sita sunt.
- Ferd. de Castro de Iust. & Iure. Pars I L

7 Venditio, seu permutatio censuum regalium ob hac obligatione excimitur.

Gabella ex sola emptione, & venditione, ac permutacione debetur in Hispania, ut constat ex leg. regia 1. & 2. tit. 7. lib. 9. collect. Cum autem in censu consignatio vera emptio, & venditio interueniat, ut saepe dictum est ex hoc casu gabella debetur. Vt tradunt Lazarte de decima vendit. & permutat. c. 10. n. 4. Mol. disp. 384. Gaspar Roderic. lib. 2. de redditib. q. 4. per totam. Quod non solum in censu perpetuo redimibili, sed etiam in censu vitalitio procedit, quia etiam in illo intercedit venditio iuris exigendi pensionem durante vita. Vt resoluunt aduersus Sarmient. 7. select. c. 1. n. 40. Mol. d. disput. 384. Lazarte d. c. 10. n. 38. Felician. 2. de censib. lib. 2. c. fin. n. 2. & seq. Auendaño tr. de censib. c. 9. n. 2. Quod procedit, ut bene probant praedicti Doctores, quamuis nulla res fuerit hypothecata. Satis enim est ad venditionem quod censuarius pro pecunia accepta obligationem subeat soluendi vitalitium pensionem, quicquid dicat Azevedo leg. 1. tit. 17. lib. 9. collect. n. 110. & seq. Aduertuntque ibi Felician. & Auendaño deberi gabellam ex censu siue perpetuo, siue vitalitio tanquam ex re immobili.

Adde non solum ex constitutione noui census gabellam deberi, sed ex venditione iam constituti, & in alterum translati, quia est vera emptio, & venditio. Vt post alios resoluunt Ignat. Lazarte de decima vendit. c. 10. n. 8. Auendaño d. c. 93. n. 3. Quod intelligendum est, cum ob pecuniam acceptam transferatur.

Verum si rem censui suppositam venderes eo pacto, ut loco pretij emptor ad solutionem census obligetur, grauis est dubitatio, an ex eo contractu debeatur gabella ex quantitate, & aestimatione census, vel tantum ex residuo, si aliquid tibi ulterius solutum est. Debeti ex quantitate, & aestimatione census, ac proinde ex integro pretio conuenio affirmat Mol. disp. 384. §. dubium est. eo quod totius rei pretium & aestimationem census emptor soluerit, perinde enim est ab onere soluendi censum liberare, ac pecuniam, qua onus illud aestimatur largiri.

Sed contrarium non improbabiler docuerunt Felician. de censib. lib. 2. cap. fin. num. 11. & 2. 1. eodem c. n. 5. Azevedo dicit leg. 1. n. 17. lib. 9. collect. 117. Nam quoad aestimationem census attinet non videtur celebrata venditio, siquidem nihil accipis, sed rem censui affectam alteri sub eo onere donas: & in eum obligationem soluendi transmittis transmissa re censuali.

Solutio autem gabellae est si inspecto iure communi ad emptorem pertineat, ut pluribus firmat Gaspar Roderic. 2. de reddit. q. 4. n. 6. & seq. per Textum in l. debet. ff. de adilitio editio: attamen in nostro Castellae regno hoc ius competit venditori. ex l. 1. 17. lib. 9. noua collect. Sicuti resoluunt idem Roderic. cum Menchaca de controu. vsu frequen. c. 11. n. 16.

Locus autem ubi gabella soluenda est communior sententia quam refert, & sequitur Azevedo d. leg. 1. tit. 17. lib. 9. n. 118. Felician. 2. de censib. lib. 2. c. fin. n. 5. Auendaño c. 93. n. 4. asserit esse, ubi bona censui specialiter hypothecata sita sunt. Si autem nulla sint bona specialiter hypothecata, sed solum generaliter locus solutionis erit locus contractus.

Ab hac tamen obligatione soluendi gabellam excimitur venditio, seu permutatio censuum regalium, vulgo Iuro. Nam estio ex rigore gabella deberetur, attamen in fauorem donationum regiarum non exigitur. Praeterea cum Rex hos redditus vendit gabellae non est locus, cum Rex cui gabella competebar utpote venditor reddituum obligari non potest, & inde in perpetuum a gabella soluenda excimitur, tamen si in alterum venditione transferantur. Sicuti resoluunt Lazarte de decima vendit. & permut. c. 10. n. 76. Mol. disp. 384. in fine. Auendaño c. 93. n. 6.

PUNCTVM XXVI.

De fideiussoribus pro securitate census adiectis.

§. I.

Possintne fideiussores exigi pro securitate rei censita, & pensionis?

- 1 Aliqui negant in contractu censuali licere fideiussores exigere, cum nullum est periculum.
- 2 Sed contrarium praxi receptum est.
- 3 Qualiter hi obligentur stante Pij V. constitutione, & illa conclusa?
- 4 Neque pro hac fideiussoris exactione obligatur emptor pretium augere.

Supponendum est ex communi sententia praxique recepta fideiussores licite in contractibus exigi. Sed an in censuali contractu? Difficultate non caret. Nam Salo. 1. 2. artic. 3. controu. 14. negat licere, nisi adit mortale periculum quod res censita pereat, vel infructuosa reddatur, vel censua-